



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

X. Vt nullus clericus extraneam mulierem domi habeat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

ANNO
CHRISTI
P. III. IOANNES TVRONENSE II. IVSTINVS IVNIOR IMP.
CHARIBERTVS REX FR. 595

167. ipsius excommunicatione commonitus, communicare præsumperit, vsque ad Synodum excommunicatus habeatur.

IX.

Adiicimus etiam, ne quis Britannum, aut Romanum, in Armorico, sine metropolitani aut comprouincialium voluntate vel literis, episcopum ordinare præsumat. Quod si quis contraire tentauerit, sententiam in anterioribus Canonibus prolatam obseruet, & a nostra caritate vsque ad maiorem Synodum se cognoscat remotum & excommunicatum: quia merito a caritate nostra, vel nostris ecclesiis segregantur, qui patrum statuta contemnunt.

X.

De familiaritatibus mulierum licet crebrius sit in Canonibus replicatum, attamen necesse est, vt si secta virgulta, quæ male pullulauerant, redeant, rursus fidei falce succidantur, & iam radicitus eruantur. Nullus ergo deinceps clericorum, pro occasione necessitatis, aut causa ordinandæ domus, extraneam mulierem in domo sua habere præsumat. Et cum iubeamur victum aut vestitum artificio quærere, & manibus propriis laborare, quid opus est in domo serpentein includere pro veste, quæ multiformem vestem non propterea deponit vt nudetur, sed vt se, dum renouatur, ostendat clarorem? Nullus ergo clericorum, non episcopus, non presbyter, non diaconus, non subdiaconus, quasi sanctimoniale, aut viduam, vel ancillam propriam, pro conseruatione rerum in domo sua stabilire præsumat; quæ & ipsa extranea est, dum non est

Concil. Tom. 12.

Ffff ij

mater , aut soror , aut filia : quæ etiam pronior propinquabit ad culpam , dum dignoscitur subiecta dominati. Si quis episcopus , aut presbyter , seu diaconus , aut subdiaconus , de hac re statuta patrum , vel nostra , temerare præsumperit , excommunicetur.

XI.

Si quis episcopus ad distingendum eos qui in hac facilitate perdurant , negligens apparuerit , sicut in ipsa sancta basilica est publice recitatum , ex consensu communi atque totius populi , sententiam prædecessorū Canonum se incurrere omnino cognoscat : sic tamen , vt tam metropolitanus suis comprouincialibus , quam comprouinciales metropolitano suo , si resistere aut contemnere episcopum clerici sui præsumperint , dent omnino solatium . Et quia dixit sancta scriptura , *Frater fratrem adiuuans exaltabitur* ; quicumque pro causa Dei fratri suo solatium commonitus dare distulerit , vsque ad Synodum remoueatur . Nam si episcopus se contemni sentiens , fratres suos in solatium suum non commonuerit , ipse sciat qualiter reddat Domino rationem .

XII.

Episcopus coniugem vt sororem habeat , & ita sancta conuersatione gubernet domum omnem , tam ecclesiasticam , quam propriam , vt nulla de eo suspicio quaqua ratione confurgat . Et licet , Deo propitio , clericorum suorum testimonio castus viuat , quia cum illo tam in cella , quam vbi cumque fuerit , sui habitent , eumque presbyteri & diaconi , vel deinceps clericorum turba iunio-